AUTHOR:

BILLROTH, JOHANN GUSTAV FRIEDRICH

TITLE:

DE ANSELMI CANTUARIENSIS...

PLACE:

LIPSIAE

DATE:

[1832]

Master Negative #

93-81478-8

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

189An8 Billroth, Johann, Gustav Friedrich,
DB 1808-36.
De Anselmi Cantuariensis proslogio et monologio dissertatio historico-critica.
Lipsiae, 1832. Nar. O. 35 p.
Doctor's dissertation.

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35 REDUCTION RATIO: 11x
IMAGE PLACEMENT: IA IIA IB IIB
DATE FILMED: 6-11-93 INITIALS [illegible]
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT

Billroth

nselmi Cantuari

DE

ANSELMI CANTUARIENSIS
PROSLOGIO ET MONOLOGIO

DISSERTATIO HISTORICO-CRITICA.

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS AUCTORITATE

DIE XXIII M. JUNII MDCCCXXXII

ILLUSTRIS ICTORUM ORDINIS CONCESSU

IN AUDITORIO JURIDICO

PUBLICE DEFENDET

JOAN. GUST. FRID. BILLROTH,

LUBECENSIS,

PHIL. DOCT. AA. LL. MAG.

ASSUMPTO SOCIO

JUL. LUD. KLEE,

DRESDENSI,

PHIL. DOCT. AA. LL. MAG.

LIPSIAE, EX OFFICINA HAACKII.

Argumenta, quibus deum esse demonstrare conantur, postquam diu summa in metaphysicis auctoritate valuerunt, primum a Kantio, quae hujus viri fuit ingenii sagacitas, in severissimum judicium vocata sunt. Inde factum est, ut plane desperarentur, et paene ab omnibus eo tantum consilio commemorarentur, ut ex eorum historia appareret, quamdiu mens humana, si quae nullo modo possent demonstrari, demonstrare conaretur, specie veritatis decipi posset.

Recentiores autem qui post Kantium exstiterunt philosophi rursus in illa argumenta considerationem intenderunt, non quo ea tali forma, qua superioribus temporibus tradita essent, rata esse idque, ad quod demonstrandum proposita essent, demonstrare posse censerent, sed quod nihilominus multum veri, quod nullis debilitari posset dubitationibus, iis contineri praedicarent. Ac prae ceteris quidem ontologicum, quod vocatur, argumentum interiori indagatione dignum esse aestimarunt, quemadmodum etiam ante Kantium in metaphysicis primum locum obtinuerat. Sed huic ipsi argumento idem accidit, quod multis aliis philosophorum decretis: aestimantur et censentur plerumque non secundum eam formam, quam primus eorum inventor iis induit, sed secundum eam, quam posterioribus temporibus subierunt. Inde fit, ut permulta videantur infirma vel etiam inepta, quae si ad ipsos fontes, unde fluxerunt, regredimur, longe alia esse inveniuntur.

Ontologici argumenti, cujus jam apud Augustinum prima reperiuntur fundamenta, auctorem fuisse Anselmum, seculo undecimo Cantuariensem archiepiscopum, omnibus notum est. Sed idem Anselmus fortasse apud plurimos ob hoc ipsum male audit omnibusque, quibus plerumque philosophi scholastici cumulantur, reprehensionibus afficitur. At primum considerandum est, eum adhuc ante id tempus vixisse, quo Aristotelicis libris in occidentem translatis paene omnia spinosis et syllogisticis disquisitionibus foedata sunt; deinde, id quod omnes Anselmo tribuunt, hominem fuisse summa sagacitate summoque ingenii acumine praeditum, quam rem ubique in scriptis suis luculentissime probat. Et quemadmodum in universum scholasticos, qui vocantur, philosophos non licere videtur paucis istis decantatisque verbis, quae semper proferuntur, incognita causa condemnare: ita ejus viri, cujus totum studium in eo positum fuit, ut, quae de religione credidisset, etiam *ratione* intelligeret[1]), argumentationem accuratius examinare operae pretium esse videtur. Quod eo magis faciendum esse censeo, quod plerumque, quum Anselmus illius argumenti auctor nominatur, unius tantum libelli, cui proslogio nomen est, ratio habetur, quum contra alter libellus, qui inscribitur monologium, cum hoc conjungendus

1) Id plurimis locis declarat expressis verbis; e. c. in praef. libri de fide trinitatis non solum dicit „se neminem reprehendendum arbitrari, si fide stabilitus, in rationis ejus indagine se velit exercere,“ sed etiam ad „sacram paginam“ ablegat, quae „ipsa ad investigandam rationem invitet, et ubi dicat: Nisi credideritis, non intelligetis, aperte moneat intentionem ad intellectum extendere.“ Similiter in libello, qui inscriptus est: Cur Deus homo? „Negligentia, inquit, mihi videtur, si postquam confirmati sumus in fide non studemus quod credimus, *intelligere*“ (cap. 2). Conf. de libero arb. cap. 3. —

sit, ita ut invicem sibi lucem afferant. Ex accurata autem eorum consideratione id spero apparíturum esse, ea, quae Kantius in argumento ontologico reprehendit, non tam in Anselmum cadere, quam in posteriores philosophos, maxime Wolfianos, quippe apud quos tota argumentatio manifesto depravata sit. Simul autem studebimus, ubi argumentatio laboret et Anselmus ei justo plus firmitatis attribuat sibive non constet, exponere. Neque enim ita bene nobis videtur defendi Anselmus, ut omnia defendantur: immo non melius defenditur, quam si ipse ejus defensor, quousque vis argumentorum, quae protulit ille, valeat et ubi laborare incipiat, accurate definiat, atque quae postulanda et tantum ponenda sint, libere concedat. Ita praecavebitur, ut ne nimium probare studendo nihil probet: simul autem efficietur, ut ea, quae in se vera et firma sunt, certe verae cognitionis quasi germina in se continent, eo luculentius appareant. Ac profecto hoc omnino historiae philosophiae est propositum, ut non tam numeratam quasi pecuniam ubique quaerat et ubi hanc non invenerit, statim omnia tanquam inutilia rejiciat, quam ut potius ubique aurum et argentum, etiamsi lateat et scoriis foedatum sit, his purgare purgatumque in lucem proferre studeat. Sed simulatque hoc modo id, quod in omnibus systematis philosophicis veri inest, apparet, severo judicio ea, quae imperfecta insunt, exponenda et, si fieri potest, rationes, cur in hac vel illa potissimum philosophia insint nec non inesse possint, reddendae sunt. Haec demum esse videtur ratio vere historico-critica.

In hac nostra scriptione periculum faciemus hoc modo Anselmianas argumentationes tractandi. Qua in re ita versabimur, ut has cum iis, quae Kantius in celeberrimo libro, qui inscriptus est: critica rationis pu-

rae [2]), contra argumentum ontologicum sagacissime proposuit, comparemus.

Argumentum ontologicum, quale vulgo traditur, hoc fere est:

Possumus fingere notionem entis [3]) perfectissimi seu ejus, quod omnes perfectiones in se contineat. Atqui existentia una est e perfectionibus: ergo non possumus quin illi enti existentiam tribuamus.

Hoc argumentum, postquam jam a Leibnitzio ejusque amicis, maxime Eckhardo, variis dubitationibus debilitatum erat, sed nihilominus quibusdam partibus correctum stare posse censebatur: tandem a Kantio plane eversum est. Qua in refutatione duobus maxime utitur argumentis:

1) In notionem entis perfectissimi clam et quasi furtim infertur notio existentiae, quum haec dicitur una e perfectionibus esse. Ita profecto facillimum est, ex notione rursus existentiam repetere! Sed haec ineptissima est tautologia. Nam eo, quod existentia ad notionem aliquam additur, ipsa notio nullo modo crescit seu amplior fit [4]); sive cogito rem esse, sive non esse

---

2) *Von der Unmöglichkeit eines ontologischen Beweises vom Dasein Gottes* p. 620 seqq. edit. 4, 1794.

3) Liceat hoc vocabulo sicut ceteris terminis technicis (existentia, objectivitas, immediatus, cet.) uti, quorum periphrases nimis prolixae sunt nec fere unquam rem acu tangunt. Equidem putaverim, si de rebus metaphysicis scribendum est, non tam in *singulis vocabulis*, quam in toto orationis colore ac non admittendis soloecismis (in *syntaxi* non violanda) Latini sermonis integritatem esse quaerendam.

4) Crit. rat. pur. p. 623. Idem jam antea exposuerat in libello sagacissime scripto: *Der einzig mögliche Beweisgrund zu einer Demonstration des Daseins Gottes.* Regiom. 1763 (et in: *Immanuel Kants vermischte Schriften.* Hal. 1799, tom. II, pag. 57 seqq.).

cogito: notio semper eundem retinet ambitum. Existentia non est praedicatum reale, quod *coordinetur* cum ceteris praedicatis, sed positio totius rei cum omnibus suis praedicatis. Centum talenta, quae habeo, non plus (sive plures notas) continent, quam centum talenta, quae tantum fingo, licet mea maxime interesse possit, utrum ea habeam, nec ne.

2) Necessitas, qua *judicium* facere cogimur, non simul conjunctam secum habet necessitatem, ex qua *ipsam rem esse* sequatur. Si deum cogito, non possum quin eum cogitem etiam omnipotentem. Nam in identico judicio non potest tolli praedicatum et subjectum manere, quin contradictio exsistat: sed quid obstat, quominus subjectum ac *simul cum eo* praedicatum tollam: tum nulla contradictio potest exoriri, nihil enim est, cui contradicatur. Igitur si dico: Deus non est, nec omnipotentia, nec quidquam aliud praedicatur: *omnia* enim praedicata cum subjecto tolluntur nec ulla est contradictio.

Haec fere sunt, quae Kantius contra vulgarem argumenti formam affert. Quaeritur nunc, num et quatenus in Anselmi argumentationem cadant.

Exponit Anselmus ea, quibus deum esse demonstrare studet, duobus libellis, quorum prior inscribitur: Monologium sive soliloquium, quia ibi, ut ipse [5]) dicit: „in persona alicujus tacite secum ratiocinando quae nesciat, investigantis, exemplum meditandi de ratione fidei" edere studet; posterior: Proslogium sive alloquium, quia hîc homo aliquis Deum alloquitur eumque,

---

5) In praef. ad proslog. Ceterum Anselmi verba citamus secundum eam editionem, quam curavit Gerberon, Parisiis 1721.

ut gratiam sibi largiatur seque in cognoscendi studio adjuvet, supplicibus verbis orat. Hic posterior libellus inscribitur etiam: Fides quaerens intellectum.

In historia argumenti ontologici plerumque, ut supra diximus, posterioris tantum libelli ratio habetur, quia utique ea, quae ibi exponuntur, similiora sunt vulgari argumenti ontologici formae, quam quae in monologio leguntur. Nihilominus si vere quae Anselmus de Dei existentia probanda senserit intelligere et aestimare cupimus, non est acquiescendum in solo proslogio perpendendo, sed etiam ad monologium, quod nescio an illud disputandi subtilitate vel superet, revertendum esse videtur, ita ut quae in proslogio desiderantur, auctorem in monologio supplevisse vel certe voluisse supplere appareat..

Incipiamus igitur ita, ut summam eorum, quae proslogio continentur, excerpamus. Argumentatur autem noster hoc modo [6]):

„Credimus Deum esse aliquid, quo nihil majus cogitari possit. An ergo est aliqua talis natura, quia *dixit insipiens* [7]) *in corde suo, non est Deus?* Sed

6) Proslog. capp. II et III. Ea, quae in sequentibus capp. exponuntur non sunt tanti momenti ad existentiam Dei probandam, quanti ad ejus essentiam definiendam. Itaque nos in primis capp. perpendendis possumus acquiescere, quum hic et id, quod in Anselmiana argumentatione veri inest, et id, quod in ea desideratur, appareat.

7) Insipientem dicit atheum, rationem habens psalmi 13, v. 1. (secundum vulgatam), ubi illa verba: *Dixit insipiens in corde suo* cet. leguntur. Eandem ob causam Anselmus eum quoque libellum, quo se contra Gaunilonis, Magni Monasterii monachi, reprehensiones defendit, ita inscripsit: „Liber contra insipientem.“ Gaunilo enim libellum suum nominavit: *Pro insipiente*, quia in eo Athei alicujus personam se agere fingit, studetque probare, ea, quae Anselmus in proslogio nostro proposuit, stare non posse. Qna de re infra dicemus amplius.

certe idem ipse insipiens, quum audit hoc ipsum quod dico: aliquid quo majus nihil cogitari potest, intelligit quod audit, et quod intelligit, in intellectu ejus est, etiamsi non intelligat illud esse. Aliud est enim, rem esse in intellectu, aliud intelligere, rem esse. Nam quum pictor praecogitat quae facturus est, habet quidem in intellectu, sed nondum esse intelligit quod nondum fecit. Quum vero jam pinxit, et habet in intellectu, et intelligit esse, quod jam fecit. Convincitur ergo etiam insipiens esse vel in intellectu aliquid, quo nihil majus cogitari potest: quia hoc, quum audit, intelligit, et quicquid intelligitur, in intellectu est.“

„Et certe id, quo magis cogitari nequit, non potest esse in intellectu solo. Si enim vel in solo intellectu est, potest cogitari esse et in re; quod majus est. Si ergo id, quo majus cogitari non potest, est in solo intellectu, id ipsum, quo majus cogitari non potest, est quo majus cogitari potest: sed certe hoc esse non potest. Existit ergo procul dubio aliquid, quo majus cogitari non valet, et in intellectu, et in re.“

„Quod utique sic vere est, ut nec cogitari possit non esse. Nam potest cogitari aliquid, quod non possit cogitari non esse; quod majus est, quam quod non esse cogitari potest. — Cur itaque dixit insipiens in corde suo: non est Deus? quum tam in promptu sit rationali menti, Deum maxime omnium esse. Cur, nisi quia stultus et insipiens?“

„Verum quomodo dixit insipiens in corde suo quod cogitare non potuit? — Non uno tantum modo dicitur aliquid in corde sive cogitatur. Aliter enim cogitatur res, quum vox eam significans cogitatur: aliter quum id ipsum, quod res est, intelligitur. Illo [priori] itaque modo potest cogitari Deus non esse; isto [poste-

riori] vero minime. Nullus quippe intelligens id quod sunt ignis et aqua, potest cogitare ignem esse aquam secundum rem, licet hoc possit secundum voces. Ita igitur nemo intelligens id quod Deus est, potest cogitare, quia Deus non est; licet haec verba dicat in corde aut sine ulla, aut cum aliqua extranea significatione. Deus enim est id, quo majus cogitari non potest. Quod qui bene intelligit, utique intelligit id ipsum sic esse, ut nec cogitatione queat non esse. Qui ergo intelligit sic esse Deum, nequit eum non esse cogitare."

Hactenus Anselmus. Cujus verba, quae nonnullis fortasse nimis spinosa et arguta videbuntur [8]), jam ad ea, quae Kantius in argumento ontologico vituperat, perpendamus, ac primum quidem ad prioris reprehensionis normam. Quae eo continebatur [9]), quod existentia ex notione entis perfectissimi non posse erui sive enucleari dicebatur. At hoc ne vult quidem Anselmus, bene intelligens, hunc fore conatum, qui nunquam perfici possit. Igitur non *coordinat* existentiam cum ceteris Dei perfectionibus nec inde colligit „quum Deus, ens perfectissimum, omnes perfectiones in se contineat, necesse esse etiam existentiam contineat sive vere sit, ita ut existentia complementum perfectionis esse videatur," sed opponit duos Deum sive ens perfectissimum cogitandi modos: alterum, quo homo eum in suo tantum animo („in intellectu", quemadmodum loquitur Anselmus), alterum, quo eum etiam in re (i. e. objective) esse cogitat. Itaque definitio, quam proponit Anselmus, Deum esse id, quo majus cogitari nequeat,

8) Attamen impeditam hanc orationem minus vituperabunt, si, ut recentissimorum philosophorum scripta taceam, ipsorum veterum, maxime Aristotelis librorum meminerint.

9) Cf. supra pp. 4 et 5.

non realis, sed tantum *formalis* est: i. e. viam monstrat, qua mens humana incedere debeat, si Dei notionem velit cogitare. Quamdiu enim mens Deum tanquam talem, qui tantum in intellectu, i. e. figmentum aliquod sit, cogitat, nondum id cogitat, quo majus nihil possit cogitari: hoc tunc demum facit, quum eum talem cogitat, qui etiam in re, i. e. objective sit.

Sed dicat aliquis: videat nihilominus Anselmus, ne in Kantii reprehensionem cadat: nam ne nunc quidem video, quomodo notio aliqua eo, quod aliquid habet, cui in re, i. e. in rerum natura respondeat, perfectior fieri possit, quam si non habet ac tantum figmentum mentis humanae est: centum talenta, quae vere sunt, nihil amplius continent, quam centum talenta ficta.

Respondebit Anselmus: Concedere haec possum libentissime de illis talentis, et omnino de omnibus rebus finitis, sed non item cadunt in notionem Dei. In rerum finitarum ipsa notione jam hoc inest, eas et esse et non esse posse, sive contingentes et fortuitas esse [10]):

10) Cf. Hegelium in encyclop. pag. 181 (ed. 2): *Es würde die grösste Gedankenlosigkeit sein, wenn gemeint sein sollte, in unserm Bewusstsein sei die Existenz auf dieselbe Weise mit der Vorstellung der endlichen Dinge verbunden, als mit der Vorstellung Gottes; es würde vergessen, dass die endlichen Dinge veränderlich und vergänglich sind, d. i. dass ihre Existenz nur transitorisch mit ihnen verbunden, dass diese Verbindung nicht ewig, sondern trennbar ist. Anselm hat darum mit Recht das nur für das Vollkommene erklärt, was nicht bloss auf eine subjective Weise sei, sondern zugleich auf eine objective Weise ist.* Cf. quae ipse Ans. dicit (contra insip. cap. IV): „omnia possunt cogitari non esse, praeter id quod summe est. Illa quippe omnia et sola possunt cogitari non esse, quae initium, aut finem, aut partium habent conjunctionem, et, sicut jam dixi, quicquid alicubi aut aliquando totum non est: illud vero solum non potest cogitari non esse, in quo nec initium, nec finem, nec partium conjunctionem, et quod non nisi semper et ubique totum ulla invenit cogitatio."

sed infinitum sive id, quo majus cogitari non possit, *si semel cogitare volumus*, tale *cogitare* debemus, quod ita per se tamque necessarium sit, ut non possit non esse, omnibusque, quae extra se sint, existentiam dederit. Igitur etiamsi quis negaverit, *esse* aliquid, quo majus cogitari nequeat, tamen non negabit, *si* esset, tam potens, independens atque necessarium fore, ut non esse non posset: alias enim non id esset, quo majus cogitari nequit [11]). Qua in re totius argumenti pondus positum est. Summum, ad quod cogitandum mens humana ascendere potest, per se necessario est, cetera omnia ex nihilo per solam voluntatem et in nobismet ipsis sui notionem efficiens. Quamobrem ipse Anselmus probe distinguit inter: *majus omnibus* (sive: ens maximum, perfectissimum) et id, quo majus *cogitari* nequeat [12]). Nam id quod esset omnium, quae sunt, perfectissimum, tamen ideo nondum esset tam perfectum, ut eo majus non posset cogitari: et si pravam illam definitionem ponere vellemus, fortasse aliquid non absolute perfectum, cujus existentia esset fortuita (quod et esse et non esse posset) nominandum esset Deus [13]). Contra statim ab initio hoc vitium praecavetur, si Anselmiana ponitur Dei definitio. Itaque argumentum ontologicum valde depravatur perverseque ejus natura accipitur, si in eo adhibendo ex notione entis perfectis-

---

11) Cf. ipsum Anselmum contra insip. cap. 2.

12) Contra insip. cap. 5: Non idem valet quod dicitur: *majus omnibus*, et: *quo majus cogitari nequit* ad probandum quia est in re [in re esse] quod dicitur.

13) Cf. Tiedemannum: *Geist der spekulativen Philosophie, Marburg* 1795, tom. 4, p. 256: *Zugegeben, dass unter allen Dingen Eins das vollkommenste ist, so folgt noch nicht, dass kein vollkommneres möglich ist. Und wenn das nicht, so müsste auch ein sehr unvollkommenes als Gott anerkannt werden.*

simi hujus existentia erui dicitur: potius dicendum est, hoc illud argumentum sibi velle, ut monstret, notionem ejus, quo majus cogitari nequeat, *siquidem eam omnino cogitare quis velit*, ita debere cogitari, ut non esse ne cogitari quidem possit [14]).

---

14) Hoc idem est, quod recentiores philosophi (Schellingiana et Hegeliana scholae) identitatem subjectivitatis et objectivitatis in cogitanda Dei notione nominaverunt, eamque argumento ontologico *significasse* et *postulasse* Anselmo summae laudi est, quamvis ejus necessitatem non *demonstraverit* justa disciplinae forma. Cf. Hegel. in encyclop. (ed. I. p. 98): *Diese Argumentation ist zunächst eine äusserliche; aber dies zugegeben, so enthält sie dies, dass der blosse Begriff als subjectiver, das nur gedachte höchste Wesen, insofern das Denken am Sein einen Gegensatz hat, nur ein Endliches nicht ein Wahrhaftes und diese Subjectivität vielmehr aufzuheben ist.* Cf. eundem in ed. II. p. 181, in logica II, p. 192 seqq. et Schellingium in: *Neue Zeitschrift für speculative Physik* I, p. 38, ubi haec verba leguntur: *Die Vernunft hat immer, selbst in unvollkommneren Bestrebungen, die höchste und unmittelbarste Evidenz an die Einheit des Denkens und Seins geknüpft. — Hieran knüpfte sich der sogenannte ontologische Beweis vom Dasein Gottes* cett. — Schellingium inter theologos primus secutus est Carolus Daubius, qui in Theologumenis (Heidelbergae 1806) pag. 141 seqq. egregie de argumenti nostri natura disserit, quum dicit: „Vident (illius argumenti defensores) quod verum est, ut autem, quod vident aliis quoque declarent, argumenti forma, quam intellectus suppeditat, parum apta utuntur, quasi, quod declaraturi sunt, *ratiociniis* et *syllogismis* ipsi essent consecuti; unde imprimis, quod vident et afferunt, falsum esse videtur.“ Ac postquam illorum syllogismorum vitia ante oculos posuit, ita pergit (p. 159): „Deum esse sciunt homines, quia notione vel cogitatione, non *sua* quidem, sed *divina*, ejus sunt conscii; quum enim haec notio, si non quoad actum, potentia tamen divinitus orta sit, a Dei essentia et existentia differre nequit, dum itaque continentur illa, hujusce non possunt esse conscii certique. Qua quidem in re argumenti vere ontologici auctoritas erit ponenda. Non enim docet, si veram ipsius rationem spectaveris, nisi hoc: cognitionem dei existentis *non posse non* divinitus oriri, ut altero

Apparet, ita argumentum, quod alias, si in hunc syllogismum cogitur:

Deus est ens perfectissimum;
Existentia est perfectio;
Ergo Deus est —

absurdum fit, hoc vitio quidem liberari, sed simul etiam, quum formaliter tantum naturam notionis significet, argumenti quod proprie dicitur sive demonstrationis vim amittere. Etenim si Anselmus contra „insipientem“ (sive atheum) ita argumentaretur: Quamdiu Deum tantum tanquam figmentum mentis humanae cogitas, non vere id, quo majus non possit cogitari, cogitas: insipiens respondere potest: Bene, concedam me non cogitare tuum „quo majus cogitari nequit“ et si velim id omnino cogitare, me debere aliquid cogitare, quod non possit non esse: sed quid *cogit* me, ut omnino tale quid cogitem? Tuum summum nihil ad me!

Et hoc quidem eodem redit, quo illa secunda Kantii reprehensio, de qua supra a nobis dictum est. Quid impedit, inquit Kantius, etiamsi primum, quod in illo argumento reprehendi potest, mittamus, ita ut ens, quo majus cogitari nequeat, si cogitare velimus, non esse non possit cogitari, — quid impedit, quo minus id omnino non cogitemus, sed ipsum subjectum tollamus? Tunc praedicatum (*esse*) simul tollitur, nec quidquam remanet, cui contradicatur.

Toti huic secundae reprehensioni instituendae dederunt occasionem ipsi illius argumenti defensores posteriores [15]) eo, quod Leibnitzio maxime aucto-

isto, quod a consensu gentium ducitur, eam divinitus ortam esse, solummodo asseritur.“

15) Quamquam negari non potest, jam ipsum Anselmum tale quid in suam argumentationem intulisse, ut infra videbimus.

re [16]), male in propositionem majorem syllogismi sui notionem possibilitatis intulerunt. Talis autem possibi-

16) Hic plurimis locis (multum enim operae posuit in perscrutanda ontologici argumenti natura) ante omnia id agendum censet, ut quaeratur, num notio entis perfectissimi *possibilis* sit. Intellexit autem per possibilitatem nihil aliùd, quam id, ut ne notio illa contradictionem involveret, cf. Meditationes de cognitione, veritate et ideis (ed. Dut. II, p. 16): Sciendum est, inde (ex syllogismo vulgari, in quem cogitur arg. ont.) hoc tantum confici: si Deus est possibilis, sequitur quod existat; nam definitionibus non possumus tuto uti ad concludendum, antequam sciamus eas esse reales aut nullam involvere contradictionem. Cujus ratio est, quia de notionibus contradictionem involventibus simul possent concludi opposita, quod absurdum est. — Idem in: réflexions sur l'essai de l'entendement humain de Mr. Locke (Dut. II, p. 221): Je ne méprise point l'argument inventé il y a quelques siècles par Anselme, qui prouve que l'être parfait doit exister; quoique je trouve qu'il manque quelque chose à cet argument parcequ'il suppose que l'être parfait est possible. Car si ce seul point se démontre encore, la démonstration tout entière sera entièrement achevée. — Similiter disserit in epistola ad Bierlingium apud Kortholdum tom. 4, p. 357 seqq. (Dut. II, 254). Et in epistolis ad Eckhardum (in sylloge epistolarum. Norimb. 1761, vol. II) ubique idem urget. Contra hanc ejus sententiam afferri possunt, quae Kantius in crit. rat. pur. (p. 624 not.) dicit: *Der Begriff ist allemal möglich, wenn er sich nicht widerspricht. Das ist das logische Merkmal der Möglichkeit, und dadurch wird sein Gegenstand vom nihil negativum unterschieden. Allein er kann nichts destoweniger ein leerer Begriff sein, wenn die objective Realität der Synthesis, dadurch der Begriff erzeugt wird, nicht besonders dargethan wird, welches aber jederzeit, wie oben gezeigt worden, auf Principien möglicher Erfahrung und nicht auf dem Grundsatze der Analysis (dem Satze des Widerspruchs) beruht. Das ist eine Warnung, von der Möglichkeit der Begriffe (logische) nicht sofort auf die Möglichkeit der Dinge (reale) zu schliessen.* — Quamquam non negaverim Leibnitzium verum sensisse et eo, quod ante omnia indagationem de possibilitate notionis requirebat, significare voluisse, totam argumentationem ontologicam vulgarem eo laborare, quod notio Dei non esset systematico disciplinae ordine

litas non sufficit ad argumentationem corroborandam. Longe alia via opus est ad arcendam secundam illam reprehensionem. Quae, quamdiu notio entis perfectissimi cogitari *posse* tantum dicitur, semper valet: arceri duobus tantum modis potest:

1) Ita, ut *demonstretur*, nos illam ideam non pro lubitu posse vel cogitare vel non cogitare, sed necesse esse eam nos cogitare. Haec demonstratio non potest fieri nisi per disciplinae systema in se perfectum, in quo, nullis postulatis positis, notio Dei deducitur, ita, ut haec deductio necessitatem sic cogitandi et progrediendi secum habeat conjunctam et omnia in se firmis rationibus bene cohaereant arcteque concludantur, nec unquam gratiam in disputando petere opus sit. Qua via qui incedunt, totam de Deo doctrinam ad disciplinae formam revocare student, ipseque Anselmus eam ingrediendi periculum fecit in altero libello, cui nomen est monologio; quod quo successu fecerit, infra quaeremus.

2) Ita, ut quaedam ante omnia ponantur et postulentur (sive, si barbare loqui licet, ut praesuppositiones fiant), et his demum positis ex concessis disputetur [17]). Quibus maxime eget argumentum ontologicum; ac profecto hoc modo semper a cordatis philosophis tractatum est, e. c. a Cartesio et Spinoza, donec schola maxime Wolfiana illa postulata negligeret et tamen, quamvis iis neglectis, argumento vim demonstrationis strictae attribueret.

---

deducta. Sed eo erravit, quod totam rem confectam fore statuit, si in illa notione non inesset contradictio logica.

17) De hac philosophandi ratione fusius disputavit Hegelius encycl. p. 72 (ed. II) in capite, quod inscriptum est: *Dritte Stellung des Denkens zur Objectivität.*

Ac primum quidem quod ad Cartesium et Spinozam attinet, hi expressis verbis ponunt (nam demonstrationis vim atque auctoritatem nemo facile eorum disputationi attribuerit), hominem illam entis perfectissimi ideam, quae notionem existentiae involvat, non a se ipso habere, sed ab ipso illo ente perfectissimo (i. e. a Deo) [18]).

---

18) Cartesius Meditat. tert. p. 23 (ed. Amstel. 1658): Itaque sola restat idea Dei, in qua considerandum est an aliquid sit, quod a me ipso non potuerit proficisci. Dei nomine intelligo substantiam quandam infinitam, independentem, summe intelligentem, summe potentem, et a qua tum ego sum, tum aliud omne, si quid aliud exstat, quodcunque exstat, est creatum. Quae sane omnia talia sunt ut quo diligentius attendo, tanto minus a me solo profecta esse posse videantur. Ideoque ex antedictis Deum necessario existere est concludendum: nam quamvis substantiae quidem idea in me sit ex hoc ipso quod sum substantia, non tamen idcirco esset idea substantiae infinitae, quum sim finitus, nisi ab aliqua substantia, quae revera esset infinita, procederet. Nec putare debeo, me non percipere infinitum per veram ideam, sed tantum per negationem finiti, ut percipio quietem et tenebras per negationem motus et lucis; nam contra manifesto intelligo plus realitatis esse in substantia infinita, quam in finita, ac proinde priorem quodammodo in me esse perceptionem infiniti, quam finiti, hoc est Dei, quam mei ipsius: qua enim ratione intelligerem me dubitare, me cupere, hoc est, aliquid mihi deesse et me non esse omnino perfectum, si nulla idea entis perfectioris in me esset, ex cujus comparatione defectus meos agnoscerem? — Idem ibidem p. 28: Totaque vis argumenti in eo est, quod agnoscam fieri non posse, ut existam talis naturae, qualis sum, nempe ideam Dei in me habens, nisi revera Deus etiam existeret, Deus, inquam, ille idem, cujus idea in me est. — Et in responsione ad sec. object. p. 82: Concedo, inquit, etiam ipsam (Dei ideam) posse formari, licet ens summum existere *nesciremus:* sed non, si *revera non existeret;* nam contra monui omnem vim argumenti in eo esse, quod fieri non possit, ut facultas ideam istam formandi in me sit nisi a Deo sim creatus. (Cf. eundem de Methodo, p. 27. ed. Amst. 1656: Et quum ulterius inquirerem, a quonam haberem ut de natura perfectiore, quam mea sit, cogitarem,

Inde sequitur, eos toti argumento non id tribuisse, ut eos, qui negarent se illam ideam habere, ad agnoscendum Deum *cogere* posset, sed eo tantum consilio totam quaestionem instituisse, ut natura illius ideae entis perfectissimi, quod non esse non posset cogitari, clarior fieret. Id perspicue concedit Spinoza [19]), quum dicit: „Apud eos, qui negant, se ullam Dei ideam habere, quamvis ipsis Dei definitionem Deique attributa ob oculos ponas, nihil tamen proficias, non hercle magis, quam si virum a nativitate coecum colorum differentias, prout ipsi vidimus, docere moliaris. Verum, nisi eos tanquam pro novo animalium genere, medio scilicet inter homines et bruta, habere velimus, eorum verba parum curare debemus. Quomodo, quaeso, alio modo alicujus rei ideam ostendere possumus, quam ejus definitionem tradendo, ejusque attributa explicando? quod quum circa Dei ideam praestemus, non est quod verba hominum Dei ideam negantium, propterea tantum, quod nullam ejus imaginem in cerebro formare possunt, moram nobis injiciant."

Quae Cartesii et Spinozae decreta eo consilio attulimus, ut inde appareret, hos viros cautius hoc argumentum tractasse multumque de ejus auctoritate demonstrativa maluisse detractare, quam syllogismo male instituto se et lectores occoecare. Non igitur licet vulgarem illam argumenti formam nominare Cartesianam.

Similiter Anselmus. Hic quoque intellexit, ut stare

---

clarissime etiam intellexi, me hoc habere non posse, nisi ab eo, cujus natura revera esset perfectior.) Haec fundamenta sunt, quae ponit, et meditatione demum quinta ontologice concludit.

19) Principia phil. cartesianae pars I, prop. 6, schol.; ed. Paul. I, p. 21.

posset argumentum, opus esse aliquo postulato (sive, ut recentiores dicunt, aliqua praesuppositione). Quod quale sit ut appareat, necesse est respiciamus totam, quae scholasticismo suberat, philosophandi rationem.

Philosophia scholastica id habuit propositum, ut viam muniret, qua ea, quae in dogmatis religionis christianae credenda tradita essent, ratione intelligerentur [20]). Praeierant jam patres ecclesiastici, et imprimis Augustinus saepius in libris suis ablegat ad illud Jesaiae: Nisi credideritis, non intelligetis [21]). Hunc prae ceteris sequutus est Anselmus et item illum Jesaiae locum laudans, ponit atque postulat, ut antea credatur, quam intelligi possit. Itaque expressis verbis in fine primi capitis proslogii nostri: „Non, inquit, quaero intelligere, ut credam, sed credo, ut intelligam. Nam et hoc credo, quia nisi credidero, non intelligam."

Ex ejus sententia fides in rebus super sensuum ambitu positis eum locum tenet, quem experientia in iis rebus, quae sensibus possunt percipi. Jam vero, ut in his experientia cognitioni, quae rerum causas et rationes perspiciat, debet antecedere: ita secundum Anselmum intellectui rerum divinarum antecedere debet fides. Contra, si inverso ordine procedatur, nihil existimat effici posse [22]).

---

20) Cf. quae de hac scholasticismi indole egregie disputavit C. J. H. Windischmann in libro: *Kritische Betrachtungen über die Schicksale der Philosophie, Frankfurt am Main* 1825, statim primis paginis.

21) Cf. ex. gr. de libero arbitrio II, 5.

22) De fide trinitatis cap. II: „Solent quidam, antequam habeant per soliditatem fidei alas spirituales, praesumendo in altissimas de fide quaestiones assurgere. Unde fit, ut dum ad illa, quae prius fidei scalam exigunt, sicut scriptum est: nisi

Prima specie tota haec Anselmi ceterorumque scholasticorum ratio, si non inepta, at certe inutilissima et sterilissima possit videri, quae totam philosophiae dignitatem et auctoritatem destruat. Dici enim possit: a vera disciplina id maxime exspectatur, ut norma quasi sit eorum, quae credenda sint. Si quid credendum est, rationem antea habeamus oportet sufficientem, cur credamus; qua neglecta falsa quaevis nobis possunt imponi.

Sed si rem accuratius perpendimus, Anselmus, quum se fidem postulare atque ponere libere fatetur, ostendit, se argumentorum, quibus Deum esse demonstrare vulgo conantur, veram vim atque naturam melius perspexisse vel certe sensisse, quam eos philosophos, qui posterioribus seculis illis argumentis tanquam firmis syllogismis usi sunt. Hi enim severae demonstrationis vim in iis inesse sibi persuaserunt, eoque, quod talem, qualem non habent, iis tribuerunt auctoritatem, effecerunt, ut, postquam vir tam acuti ingenii, quale Kantii fuit, totam rem severissime disceptavit, illa argumenta paene apud omnes existimatione ceciderint.

Si fides in demonstranda Dei existentia postulatur (praesupponitur), duobus modis hoc fieri potest:

a) Ita, ut fides *auctoritatem* exerceat, et ibi, ubi ratio ad aliquid intelligendum non amplius sufficere putetur, ad fidem confugiatur hujusque praecepta pro rationibus sint. Sed statim apparet, hoc modo ipsam philosophiam tolli. Cui quum id propositum sit, ut omnia firmis rationibus concludantur et demonstrentur, ibi, ubi aliquid creditur, quod non intelligitur, ipsa cessat atque

---

crediderìtis, non intelligetis, praepostere prius per intellectum conantur ascendere, multimodos errores per intellectus defectum cogantur descendere."

finem habet, ita ut, simulatque quid credatur, de philosophiae ambitu in aliam regionem transeatur.

b) Ita, ut ea, quae fidei dogmatis traduntur, *materiam* praebeant, de qua philosophus philosophetur et cujus rationes ipsa ratione studeat indagare atque intelligere.

Jam quod ad Anselmum ceterosque scholasticos attinet, hi utrumque fidem postulandi eaque utendi modum non satis distinxisse videntur, et inde quod priori aliquid tribuerunt et in philosophando *auctoritate* fidei, tanquam externa aliqua potestate, duci se passi sunt, non plane immerito philosophia scholastica a nonnullis recentioribus historicis ancilla et pedissequa religionis et ecclesiae nominata est.

Aliter autem judicandum est de posteriori modo, secundum quem fides *materiam* praebet: hoc modo fidem poni atque postulari in omnibus illis, quibus Deum esse demonstrare student, argumentationibus maxime necesse est. Etenim nuda illa definitio: „id, quo majus non potest cogitari“, nihil est nisi abstracta et vacua quaedam notio, qua sola audita is, qui non aliunde Dei vel notionem, vel imaginationem (*Vorstellung*) haberet, nunquam id, quod Deus est, posset intelligere, sed haec definitio ei esset, quemadmodum scholastici dicunt, tantum: „flatus vocis.“ Igitur eorum, qui vulgo ontologico modo Deum esse probare student et abstracta illa summi entis notione se totam ac veram Dei naturam complecti opinantur, inceptum statim ab initio eo laborat, quod eam notionem, quae finem et quasi fastigium totius disciplinae metaphysicae efficere debebat, tanquam per se claram ponunt. Quod vitium egregie reprehendit Kantius, qui ante omnia in illius notionis naturam in-

quirendum fuisse dicit [23]). His verbis id significari videtur, priusquam ad summi entis notionem perveniri possit, omnes illas categorias logico-metaphysicas, essentiae, existentiae, substantialitatis cet. ordine systematico ac disciplinae forma esse deducendas. Quod si non fit, necesse est notio aliqua Dei certis finibus circumscripta, qualis in fide (sive in religionis dogmatis) traditur, postuletur.

Igitur Anselmus eo, quod fidem postulat antequam intelligi possit, ostendit, se toto libello suo primum nihil aliud voluisse, quam iis, qui Deum secundum religionem Christianam crederent esse, eamque, quam illa religio Dei tradit notionem, tenerent, viam munire, qua „ad intellectum“ procederent, i. e. qua conscii sibi fierent de illius notionis natura. Haec videtur causa fuisse, cur librum suum inscriberet : fides quaerens intellectum [24]).

---

23) Crit. rat. pur. pag. 620 : *Man hat zu aller Zeit von dem absolutnothwendigen Wesen geredet und sich nicht sowohl Mühe gegeben, ob und wie man sich ein Ding von dieser Art auch nur denken könne, zu verstehen, als vielmehr dessen Dasein zu beweisen. Nun ist zwar eine Namenerklärung von diesem Begriffe ganz leicht, dass es nämlich so etwas sei, dessen Nichtsein unmöglich ist, aber man wird hiedurch um nichts klüger in Ansehung der Bedingungen, die es unmöglich machen, das Nichtsein eines Dinges als schlechterdings undenklich anzusehen, und die eigentlich dasjenige sind, was man wissen will, nämlich ob wir uns durch diesen Begriff überall etwas denken, oder nicht. Denn alle Bedingungen* (recentiores philosophi dicerent: *Bestimmungen*, determinationes), *die der Verstand jederzeit bedarf, um etwas als nothwendig anzusehen, vermittelst des Wortes: Unbedingt, wegwerfen, macht mir noch lange nicht verständlich, ob ich alsdenn durch einen Begriff eines Unbedingtnothwendigen noch etwas oder vielleicht gar nichts denke.* His verbis necessitas Dei notionem systematice deducendi significata est.

24) His verbis totam suam philosophandi rationem significavit. Quae eo similis est posteriorum quorundam philosophorum rationi, maxime Jacobii, quod affirmat (non autem demonstrat), a summi entis notione non posse disjungi objectivitatis sive existentiae notionem, quin ipsa tollatur. Provocat, ut hanc cogitandi et essendi identitatem probet, ad conscientiam ab ipso Deo in homine effectam. Similiter Cartesius et Spinoza. Sed differt Anselmiana, Cartesiana et Spinozina philosophia a Jacobiana eo maxime, quod prior, illa notione in systematis principio semel posita, amplius utendum esse censet persuasumque habet, ea quae in religione de rebus super sensuum ambitu positis contineantur, ab homine *posse intelligi*, quum Jacobiana philosophia in illa simplici notione acquiescendum omneque studium, quod ratio in rebus divinis *cognoscendis* ponat, vanum atque irritum esse statuat. Cf. Hegelium in encycl. p. 90, ed. II.

Quae quum ita sint, apparet (ut totam rem uno judicio comprehendamus), Anselmum iis, quae a severa ac justa disciplina postulantur, non satisfecisse, nec satisfacere potuisse, quum totam de Dei existentia quaestionem uno et simplici argumento confici posse censeret, et eam notionem, in qua cardo versatur (de eo, quo majus cogitari nequit) statim initio tanquam notam poneret. Itaque in tali rerum statu non potuit, quin tandem ad fidem confugeret eumque, qui non voluisset antea credere, intellecturum esse negaret, ita ut notione ejus, quo majus cogitari nequiret exponenda et disceptanda credentibus magis ad firmandam, quam atheis ad efficiendam fidem scripsisse dicendus sit [25]).

Sed, quemadmodum jam supra diximus, justus Anselmi aestimator negare non potest, eum non per

---

25) Hegel. in encycl. p. 181 (ed. II): *Cartesius und Spinoza haben diese Einheit* (essendi et cogitandi in cogitanda Dei notione) *objectiver ausgesprochen, das Princip der unmittelbaren Gewissheit oder des Glaubens aber nimmt sie mehr nach der subjectivern Weise Anselms, nämlich dass mit der Vorstellung Gottes unzertrennlich die Bestimmung seines Seins in unserm Bewusstsein verbunden ist.*

totum opusculum sibi constitisse, sed ejus, quod in argumentatione veri inest, splendore perstrictum et captum, plus auctoritatis majoremque vim cogentem libello attribuisse, quam, si illa quae ponit atque postulat, non agnoscuntur, vere habet.

Huc pertinet, quod non solum in praefatione proslogio nostro praefixa argumentum, quod *nullo alio, quam se solo* indigeret, tandem se invenisse gaudet, sed etiam quod ea, quae insipiens sive atheus objicere posset, longe se arcuisse putat.

Quae res Gaunilonem, Magni Monasterii monachum, movit, ut libellum illum, cujus supra mentionem fecimus, componeret. Cui libello quum ii, qui recentori tempore historiam philosophiae scripserunt [26]), tantam auctoritatem attribuerint, ut non solum totam Anselmi argumentationem eo eversam esse censerent, sed etiam prae hac Gaunilonis laude id, quod in Anselmi libello veri inest, obliti esse videantur, operae pretium est paucis de Gaunilonis libro deque ratione, quae eum inter et Anselmi opusculum intercedat, referre.

Summa eorum, quae Gaunilo objicit, his continetur: inde, quod aliquid sit in intellectu (i. e. subjective cogitetur), nunquam posse sequi, hoc esse etiam in re (i. e. objective esse). Hanc normam in cetera omnia valere, quae cogitentur: cur non etiam in notionem Dei?

Hoc posse objici, jam ipse praeviderat Anselmus; itaque et in nostro proslogio et in libro contra insipientem (cap. 3) expressis verbis dixit: „omnia possunt cogitari non esse, praeter id quod summe est: alias enim non esset id, quo majus cogitari nequit.“

---

26) Cf. ante omnia Tennemannum IV, p. 139 seqq.

Sed ad haec acutissime respondet Gaunilo (cap. 4): tunc, si Deo nihil simile sit, istam notionem (ejus, quo majus cogitari nequeat) esse tantum abstractam, eumque, qui eam audiat, eam non posse intelligere secundum rem (i. e. tanquam concretam), sed tantum secundum vocem. Qua reprehensione verum Anselmiani argumenti vitium tangit, quod eo continetur, quod auctor una definitione abstracta proposita [27]) totam rem absolutam fore opinatur.

Nam, ut supra jam diximus, ex tota Anselmi argumentatione nihil aliud sequitur, quam si quis illam notionem cogitare velit, eum non posse ei non attribuere objectivitatem, i. e. a *notione* Dei non posse existentiae *notionem* separari: sed nihil proficit Noster contra insipientem, si hic dicit: *nolo* omnino illam notionem cogitare. Quam dubitationem si arcere volebat Anselmus, hic quoque eo debebat refugere, quo refugit in proslogio, i. e. postulare debebat, ut crederet atheus prius quam intelligeret. Quod quum non fecerit, eo, quod sibi persuasit, se argumentationem proprie dictam [28]) invenisse, deceptus esse dicendus est.

Sed quaeritur, senseritne ipse Anselmus hoc, quod

---

27) Itaque etiam ipse Anselmus non potuit, quin (cap. XV proslogii) concederet: Ergo Domine non solum es quo majus cogitari nequit, sed es quiddam majus, quam cogitari possit.

28) Hegel. encycl. p. 98 (ed. I): *Der vollkommen gründliche Gedanke dieser Argumentation hat dadurch eine ganz unrichtige und schaale Stellung erhalten, dass sie in die Form des Verstandesschlusses gezwungen worden ist.* — Simile quid accidit Cartesio, qui, quum principium suum: cogito ergo sum, primum ut aliquid, quod non posset demonstrari minimeque syllogismi vim haberet, sed „simplici mentis intuitu“ niteretur, posuisset, postea de hac via, quam ex imperfecta sua philosophandi ratione inire et tenere cogebatur, declinavit.

in ejus argumentatione desideratur, ac studuerit Dei notionem ita deducere, ut, quomodo homo ad eam necessario perveniret, ostenderet.

Fecit utique tale periculum in altero libello, qui inscribitur: Monologium sive Exemplum meditandi de ratione fidei. Scripsit [29]) hunc jam ante proslogium, de quo hactenus egimus.

Jam vero ut, quid monologio praestitum sit, appareat, convenit summam libelli breviter excerpere. Argumentatur autem Anselmus hoc modo:

„Quum [30]) tam innumerabilia bona sint, quorum tam multam diversitatem et sensibus corporeis experimur, et ratione mentis discernimus: estne credendum esse unum aliquid, per quod unum sint bona, quaecunque bona sunt: an sunt bona alia per aliud. Certissimum quidem et omnibus est volentibus advertere perspicuum, quia quaecunque dicuntur aliquid, ita ut ad invicem magis aut minus aut aequaliter dicantur, per aliquid dicuntur, quod non aliud et aliud, sed idem intelligitur in diversis, sive in illis aequaliter sive in-

---

29) Ipse auctor (in praef. ad prosl.) Monologium nominat concatenatione multorum argumentorum contextum. Quae subtilis et spinosa hujus libri natura eum commovit, ut „secum quaereret, si forte posset inveniri unum argumentum, quod nullo alio ad se probandum, quam se solo indigeret, et solum ad adstruendum quia Deus vere est [Deum vere esse] et quia est summum bonum nullo alio indigens, et quo omnia indigent ut sint et bene sint; et quaecunque credimus de divina substantia, sufficeret.“ Ita ortum est proslogium (de cujus historia cf. Eadmeri narrationem, lib. I de vita Anselmi, in edit. Gerberonis, supra laudata, cap. 6). Sed jam vidimus, quam fatale toti argumentationi illud studium omnia uno syllogismo amplectendi et conficiendi fuerit.

30) Cap. 1 seqq.

aequaliter consideretur. Nam quaecunque justa dicuntur ad invicem, sive pariter, sive magis vel minus, non possunt intelligi justa nisi per justitiam, quae non est aliud et aliud in diversis.

„Ergo quum certum sit, quod omnia bona, si ad invicem conferantur, aut aequaliter aut inaequaliter sint bona: necesse est, ut omnia sint per aliquid bona, quod intelligitur idem in diversis bonis, licet aliquando videantur bona dici alia per aliud. Per aliud enim videtur dici bonus equus, quia fortis est: et per aliud bonus equus, quia velox est. Quum enim videatur dici bonus per fortitudinem et bonus per velocitatem: non tamen idem videtur esse velocitas et fortitudo. Verum si equus, quia est fortis et velox, idcirco bonus est: quomodo fortis et velox latro malus est? Potius igitur, quemadmodum fortis et velox latro ideo malus est, quia noxius est: ita fortis et velox equus idcirco bonus est, quia utilis est. Et quidem nihil solet putari bonum, nisi aut propter utilitatem aliquam, ut bona dicitur salus, et quae saluti prosunt: aut propter quamlibet honestatem, sicut pulchritudo aestimatur bona, et quae pulchritudinem juvant. Sed quoniam jam perspecta ratio nullo potest dissolvi pacto, necesse est omne quoque utile vel honestum, si vere bona sunt, per id ipsum esse bona per quod necesse est cuncta esse bona, quicquid illud sit. Quis autem dubitet illud ipsum, per quod cuncta sunt bona, esse summum bonum et summe magnum. Dico autem non magnum spatio, ut est corpus aliquod, sed quod quanto majus, tanto melius est aut dignius, ut est sapientia. Et quoniam non potest esse summe magnum, nisi id quod est summe bonum: necesse est aliquid esse maximum et optimum, id est, summum omnium quae sunt.“

„Denique non solum omnia bona per idem aliquid sunt bona, et omnia magna per idem aliquid sunt magna : sed quicquid est, per unum aliquid videtur esse. Omne namque quod est, aut est per aliquid, aut per nihil: sed nihil est per nihil. Non enim vel cogitari potest, ut sit aliquid non per aliquid. Quidquid igitur est, non est, nisi per aliquid est. Quod quum ita sit, aut est unum, aut sunt plura, per quae sunt cuncta quae sunt. Sed si sunt plura, aut ipsa referuntur ad unum aliquid, per quod sunt: aut eadem plura singula sunt per se: aut ipsa per invicem sunt. At si plura ipsa sunt per unum, jam non sunt omnia per plura: sed potius per illud unum, per quod haec plura sunt. Si vero ipsa plura singula sunt per se, utique est una aliqua vis vel natura existendi per se, qua habent ut per se sint. Non est autem dubium, quod per idipsum unum sint, per quod habent, ut sint per se. Verius ergo per ipsum unum cuncta sunt, quam per plura, quae sine eo uno esse non possunt: ut vero plura per se invicem sint, nulla patitur ratio, quoniam irrationalis cogitatio est, ut aliqua res sit per illud, cui dat esse: nam nec ipsa relativa sic sunt per se invicem. Nam quum dominus et servus referantur ad invicem, et ipsi homines qui referuntur, omnino non sunt per invicem: et ipsae relationes quibus referuntur, non omnino sunt per se invicem, quia eaedem sunt per subjecta. Quum itaque veritas omnimodo excludat plura esse, per quae cuncta sunt: necesse est unum illud esse, per quod cuncta sunt, quae sunt. Quoniam ergo cuncta quae sunt, sunt per ipsum unum: procul dubio et ipsum unum est per seipsum. Quaecunque igitur alia sunt, sunt per aliud, et ipsum solum per seipsum. At quidquid est per aliud, minus est, quam

illud, per quod cuncta sunt alia, et quod solum est per se. Quare illud, quod est per se, maxime omnium est. Est igitur unum aliquid, quod solum maxime et summe omnium est: quod autem maxime omnium est, et per quod est quidquid bonum vel magnum est, et omnino quidquid aliquid est: id necesse est esse summe bonum et summe magnum, et summum omnium, quae sunt. Quare est aliquid, quod, sive essentia, sive substantia, sive natura dicatur, optimum et maximum est, et summum omnium quae sunt."

Hactenus Anselmus. Cujus argumentatio breviter sic videtur posse comprehendi: Quemadmodum bona per bonitatem id sunt, quod sunt, i. e. bona sunt [31]), ita omnia, quae sunt, per ipsum *esse* sive *essentiam* sunt. Hoc autem *esse* est per seipsum: namque est per *esse* [32]).

---

31) Recte Tiedemannus (l. l. IV, p. 254), summam hujus argumentationis referens, observat: *Die Platonische Abkunft ist diesem Beweise auf die Stirne gedrückt; das Gute ist gut durch das Gute, das Gleiche gleich durch die Gleichheit, lehrte schon Plato, und verstand darunter theils, dass einem Subjecte ein Prädicat zukommt, weil dessen Begriff in ihm gefunden wird; theils aber auch, dass dieser abstracte Begriff vom Prädicate, Grund und Ursache des concreten Prädicats und concreten Subjects ist.* Sed quae inde apud Tiedemannum sequuntur, iis, si quis recte Anselmianae demonstrationis vim atque naturam perceperit, non assentietur. Ceterum quod ad Platonem attinet, conferri potest prae ceteris locus qui legitur de Republ. lib. VI, p. 510, ubi Plato similiter objectivitatem ideae ejus, quod bonum est, deducit.

32) Simillime disserit Spinoza in Cogitatis metaphys. (cap. 6, p. 118 Paul.), id Dei *vitam* nominans, quod hic *esse* sive *essentia* nominatur: „Quare nos per vitam intelligimus *vim, per quam res in suo esse perseverant.* Et quia illa vis a rebus ipsis est diversa, res ipsas habere vitam proprie dicimus. Vis autem, qua Deus in suo esse perseverat, nihil est praeter

Per hoc *esse*, quod solum per se est, est quidquid boni ac magni est: igitur illud *esse* summum est.

Videri possit Anselmus jam hîc statim initio aliquid anticipare, quod minime licebat, *creatoris* dico notionem. Quam si statim hîc in argumentationem inferret, in hanc omnes reprehensiones caderent, quae in argumentum physicotheologicum cadunt et optime ab ipso Kantio (crit. rat. pur. pag. 648 seqq.) expositae sunt: illius enim argumenti vis in eo posita est, quod a rebus bonis ad bonum creatorem concluditur: quae ratio quantopere vacillet, omnibus, qui quidem illam Kantii expositionem legerunt, apparet. Sed non ita Anselmus.

Qui nihil aliud hac argumentatione sibi vult, quam ostendere, omnem rem id, quod est, esse per suam notionem, sive, ut subjecti, quod judicat, i. e. hominis, rationem habeamus, nos non posse aliquid de aliqua re judicare, nisi per ejus notionem. Igitur illud *per* minime jam hoc loco de vi vel persona aliqua creatrice est accipiendum, sed simpliciter dicitur, nos, quoties e. c. rem aliquam bonam esse judicemus, ad id judicium faciendum cogi per ejus bonitatem, et quoties dicamus rem esse, per ejus essentiam.

Sed contra talem argumentationem statim aliquis opponere possit: hanc (essentiae) notionem esse posse tantum abstractam, quae ex pluribus, quae sint, colligatur, sed nihil in rebus ipsis sit, similiter ac notio arboris abstracta ex pluribus arboribus collecta, sed nihil per se sit. Hoc igitur modo nihil ad assequendam Dei notionem fieri. Quam dubitationem ipse Anselmus sensisse videtur; quare ita continuat argumentationem:

---

ejus essentiam, unde optime loquuntur qui Deum vitam vocant."

„Quoniam [33]) igitur placet, quod inventum est, juvat indagare utrum haec ipsa natura et cuncta, quae aliquid sunt, non sint nisi *ex* ipsa, quemadmodum non sunt, nisi *per* ipsam. Sed liquet posse dici quia quod est ex aliquo, est etiam per id ipsum: et quod est per aliquid, est etiam ex eo ipso: quemadmodum quod est ex materia et per artificem, potest etiam dici esse per materiam et ex artifice: quoniam per utrumque et ex utroque i. e. ab utroque habet ut sit, quamvis aliter sit per materiam et ex materia, quam per artificem et ex artifice. Consequitur ergo, ut, quomodo cuncta quae sunt, per summam naturam sunt id quod sunt; et ideo illa est per seipsam, alia vero per aliud: ita omnia quae sunt, sint *ex* eadem summa natura, et idcirco illa sit ex seipsa, alia autem ex illa."

Non temere transit Noster ab illo *per* ad notionem *ex:* ansam enim hoc ei praebet accuratius inquirendi in rationem, quae intercedat inter summam illam essentiam (quam supra vidimus aliquem pro abstracta habere posse) et ipsa ea, quae sunt. Etenim si illa summa essentia nihil est, nisi notio aliqua abstracta: non possumus quin in materialismum vel pantheismum (si ita placet) incidamus. Nihil enim ad eliciendam veri Dei notionem juvat dixisse, ea, quae sunt, esse per summam quandam essentiam, si haec essentia tantum materialiter *in* rebus nec ab iis distincta est. Quod iterum bene sensit ipse Anselmus, ideoque ita pergit:

„Restat [34]) nunc de rerum earum universitate, quae per aliud sunt, discutere, quomodo sint per summam substantiam, utrum quia ipsa *fecit* universa, aut

---

33) Monol. cap. V.
34) Monol. cap. VII.

quia *materia* fuit universorum. — At si ex summae naturae materia potest esse aliquid minus ipsâ, summum bonum mutari et corrumpi potest; quod nefas est dicere. Quapropter quoniam omne quod aliud est, quam ipsa, minus est ipsa, impossibile est aliquid aliud hoc modo esse ex ipsa. Amplius: dubium non est quia nullatenus est bonum, per quod mutatur vel corrumpitur summum bonum. Quodsi qua minor natura est ex summi boni materia: quum nihil sit undecunque nisi per summam essentiam, mutatur et corrumpitur summum bonum per ipsam: quare summa essentia, quae est ipsum summum bonum, nullatenus est bonum: quod est inconveniens. Nulla igitur minor natura materialiter est ex summa natura. Quum igitur eorum essentiam, quae per aliud sunt, constet non esse velut ex materia ex summa essentia, nec ex se, nec ex alio: manifestum est quia ex nulla materia est. Quare quoniam quidquid est, per summam essentiam est, nec per ipsam aliquid aliud esse potest, nisi ea aut *faciente,* aut *materia existente*, consequitur de necessitate, ut praeter eam nihil sit, nisi ea faciente; et quoniam nihil aliud est vel fuit, nisi illa et quae facta sunt ab illa: nihil omnino facere potuit per aliud, vel instrumentum, vel adjumentum, quam per seipsam. At omne quod fecit, sine dubio aut fecit ex aliquo velut ex materia; aut ex nihilo. Quoniam igitur certissime patet quia essentia omnium, quae praeter summam essentiam sunt, ab eadem summa essentia facta est, et quia ex nulla materia est: procul dubio nihil apertius, quam quia illa summa essentia tantam rerum molem, tam numerosam multitudinem, tam formose formatam, tam ordinate variatam, tam convenienter diversam, sola per seipsam produxit ex nihilo."

Hujus capitis, quod totius libelli est princeps, sensus, paullulum impeditus, hic esse videtur:

Quaeritur, quomodo illud *per* et *ex* sit accipiendum:

1) utrum ita, ut rerum universitas ex summa essentia sit tanquam ex materia: tunc materialismus vel etiam pantheismus exoritur.

2) an ita, ut rerum universitas ex summa essentia sit tanquam ex creatrice: tunc transitus certe aperitur ad verum theismum.

Priori modo non potest accipi: nam rerum universitas minus aliquid est, quam summa essentia, per quam est: igitur si illud minus ex hac materialiter esset, haec ejus essentia sive summum bonum materia esset minoris boni, quin etiam mali, et ita summum bonum per seipsum corrumperetur nec amplius esset summum bonum. Quod quum absurdum sit, restat tantum posterius, ut summa essentia ea, quae praeter ipsam sunt, creaverit per se ex nihilo.

Haec fundamenta sunt argumentationis, in qua longius progreditur Anselmus seqq. capp., ubi primum ad notionem personalitatis Deo attribuendae transit, arcte vestigia dogmatum Christianae religionis persequens. Sed ad nostrum propositum sufficit illa prima fundamenta ob oculos posuisse, quippe quae ad recte aestimandam Anselmi argumentationem plurimum faciant.

In qua rursus momentum et quasi pondus in notione summi boni positum est. Sed alio modo, quam in proslogio, proceditur. Totam enim rem breviter ita possumus comprehendere: Si omnibus, quae sunt, *τὸ esse* (sive essentia) et omnibus bonis *bonum* fundamento est, videri possit illud *esse* et illud *bonum* universale notio tantum abstracta et sic tantum *in* rebus, ut earum ali-

quod attributum *(Eigenschaft)* esse, neque vero quidquam *per se.* Sed hoc non potest cadere in notionem summae essentiae sive summi boni. Etenim ea, quae minus perfecta vel etiam mala sunt in rerum universitate, necesse est ipsa quoque sint per summam essentiam (per quam *omnia* sunt). Sed si minus bona per summam essentiam materialiter essent, i. e. si summa essentia materia etiam eorum, quae imperfecta sunt, nominanda esset, summa essentia sive summum bonum corrumperetur. Ergo quum nihilominus omnia per illud summum bonum sint, necesse est omnia ab eo creata esse.

Videri quidem possit scrupulus, quem Anselmus eximere studet, tamen remanere ac difficultas non auferri, sed tantum differri: nam si summa essentia vel summum bonum omnia *creavit*, rursus altera difficultas exoritur; quaeri enim possit, cur non bona omnia, sed quaedam etiam mala creaverit, vel, si omnia initio bona creaverit, et mala postea facta sint mala, cur ea non talia creaverit, ut bona manere necesse esset. Sed haec est alia quaestio, ad quam solvendam theodicearum pericula facta sunt, quamque ipse Anselmus et in nostro libello (capp. posterr.) et in aliis libris e. c. in eo, qui „de concordia praedestinationis cum libero arbitrio" inscriptus est, tractat. In praesens satis multum jam effectum est, si modo probatur, summum bonum rerum universitatem *creasse:* tunc enim materialismus et pantheismus sunt evitati, et via ad theismum certe aperta.

Sed quamvis summi momenti sit, si illud probetur, ipseque Noster vel ob id, quod hoc intellexit et ante omnia huic rei operam dedit, maximopere laudandus sit, tamen quaerendum est, num *ratio*, quam inierit,

omnibus dubitationibus sit libera et ubique firma. Justus autem Anselmi aestimator negare non poterit eam hoc maxime laborare, quod essentia, per quam omnia, quae sunt, esse dicuntur, statim *summum bonum* nominatur. Nam si Anselmus supra dixit: id bonum, per quod omnia bona sunt bona, summum bonum esse, tamen non item licebat cum hoc summo bono confundere eam essentiam, per quam omnia quae sunt, esse dicit. Haec posterior enim nullatenus determinata [35]) est, et contra Anselmum hoc modo aliquis possit argumentari: Quum omnia quae sunt per summam essentiam sint, etiam minus bona ipsaque mala per eam sunt. Itaque statim initio non eorum tantum, quae bona sunt, sed etiam eorum, quae mala, ratio erat habenda; quod si factum esset, summa illa essentia non commutata esset cum summo *bono*, nec utraque notio, ut fit apud Anselmum, promiscue usurparetur, sed, quum et in bonis et in malis sit, ut medium aliquid atque indifferens accipienda fuisset. Nunc vero non valet illa ratio, qua Anselmus materialismum et pantheismum vult effugere, quum rerum naturam ideo non posse esse materialiter ex summo bono dicit, quia tum summum bonum corrumperetur. Vitium igitur in eo positum est, quod notio essentiae (minime determinata) cum notione boni (maxime determinata) statim componitur et utraque promiscue usurpatur.

Nihilominus toti monologio summa sagacitatis, quae

---

35) Sive, ut recentiores philosophi dicerent: purum esse, *das reine Sein ohne Bestimmungen.* Sed nusquam clarius, quam in talibus, quales Anselmi sunt, libris tractandis, apparet, quam necesse sit omnes illas notiones (esse, essentia cet.) logico-metaphysice deduci et certis finibus circumscribi.

dicitur, speculativae laus non potest denegari [36]), et id sine dubio veri universae disputationi subest, quod sola boni notio in se ipsa sponsionem quasi et auctoritatem objectivitatis continere, ideoque in hominis conscientia id positum esse dicitur, ut non possit opinari, summum bonum nihil nisi figmentum aliquod mentis humanae esse. Quamquam haec omnia immediate tantum ponuntur potius, quam ordine systematico et disciplinae forma deducuntur et demonstrantur.

Quodsi summa disceptationis nostrae facienda est, apparet, Anselmum, licet id, quod sibi proposuit, non ita assecutus sit, ut ejus disputatio dubitationibus libera sit ac vitiis careat, tamen optime vel eo de philosophia speculativa meruisse, quod totius de Dei existentia quaestionis capita constituit, ejusque argumentandi rationem tot verae cognitionis germina in se continere, ut plura per secula non solum totae metaphysicorum scholae eam secutae sint, sed etiam singuli in philosophia coryphaei, qui suum quisque aevum ingenio superaverunt,

---

36) Apparet ei rationi, quam hîc iniit Anselmus, similem esse eam, quam multis seculis post Kantius secutus est in libello supra a nobis laudato: *Einzig möglicher Beweisgrund* cet., ubi ipse quoque primum studet notionem illius essentiae elicere, cui postea omnia, quae Deo attribuuntur, attribuat. Proficiscitur eum ad finem indidem, unde jam Leibnitzius et Spinoza proficiscendum esse censuerant, i. e. demonstrare studet possibilia non posse cogitari et esse sine necessaria aliqua essentia, quae essentia Anselmianae similis est. Leibnitzii verba, idem innuentis, leguntur in sylloge Kortholdiana IV, p. 359: Si l'être nécessaire n'est point, il n'y a point d'être possible. Si l'être de soi est impossible, tous les êtres par autrui le sont aussi, puisqu'ils ne sont enfin, que par l'être de soi: ainsi rien ne sauroit exister. — Similiter Spinoza (Ethic. p. I, prop. XI, demonstr. 3): Vel nihil existit, vel ens absolute infinitum necessario etiam existit.

ad quaestiones Anselmianas recurrerint. Quare non possumus, quin cum Rühsio [37]), strenuo medii aevi defensore, exclamemus: immerito illud tempus, quo talia, qualia Anselmus pro Dei existentia protulit argumenta, non modo inventa, verum etiam intellecta et tam sagaciter, quam a Gaunilone factum est, impugnata sunt, plane barbarum et a vera disciplina alienissimum appellari.

---

37) *Handbuch der Gesch. des Mittelalters* p. 870.
